

5 aemula quam Clarii genitoris Calliopeae  
 composuit tali nunc mens perfusa liquore.  
 versificas Helicon in gaudia proluat undas,  
 clementique novum numen de pectore verset!  
 namque ego magnanimi dicam numerosa canendo  
 10 scepra ducis. Gazzae nobis dat Graecia dona,  
 saeclaque Blemmyico sociali limite firmas,  
 Romula lux! condigna novis florentia votis  
 voto scripta cano † oali Mars cardine tecto  
 iam bellis totum myseum perplectere civem  
 15 ut pateat Rubicon parili petit aethera iure.  
 nunc felix proprios pakis me scrupea visus  
 iam stimulat signis exultans Musa notare,  
 gaudia laetus nunc per me notat avia Phoebus.  
 retito quoque texta novo cane laurea plectro,  
 20 arte notis picta felicia. saecula plaudens!  
 sic aestus vates fido duce, Pythie, carpens  
 nunc tutus contemnat, summe, procax; ego vero  
 nunc mare Sigaeum valeam bene frangere remo,  
 carbasa Noctiferum totum si scrupea tendo,  
 25 pulpita deportans. visam contexere navem  
 Musa sinit; coniuncta tuo spes inclita voto.  
 mentem per tortum fessam non frangat hiulco  
 laus mea ficta pede stans magna mole docendi.  
 signa palam dicam laetissima flumine sancto  
 30 mente bona, contemnat, summis cum sibi agonem  
 votis post fractum Martem clementia reddet,  
 sic nobis lecto quo crescunt aurea saecula.  
 mox Latio vincens iam bis vicennia reddes,